illas circunstantias, & conditiones, illa denique omnia sciuit adinuenire, quæ ad tuam generationem concurrerunt, ne ab vllo homine decipereris, & ab omni iniuria omnibúsque tuorum inimicorum insidiis cauere posses. Sed te velim finem attingere, ad quem omnia tendunt, vt tandem aliquando finem tuum agnoscas, & assequaris.

RATIO XXX.

Sumitur ex fine, ad quem omnia tendunt.

SI mundi partes singulas sigillatim, & attento animo spectemus, statim fatebimur nihil inter ea, quæ sub aspectum cadunt, propter se, sed omnia propter aliquem finem extrinsecum facta esse, sicut & omnia sunt ab aliqua causa agente: quæ profectò sola rebus singulis media præscribere potuit, quibus ad finem sibi præscriptum facilè peruenirēt. Non est quod in singulis creaturis probem illud, quandoquidem vnus sol totius vniuersi cor, & decor illud satis aperit, qui cum pulchritudinem suam minimè percipiat, nec vllam ex tot motibus vtilitatem, aut commodum, nullámque voluptatem hauriat, propter aliud factus est, sicut cor in medio animalium; etenim sicut cor est ob bonum totius corporis, ita & sol ob totius orbis commodum. Hinc fit, vt tantum lumen, tantam motionem, non maiorem, aut minorem habeat, alioquin enim ex se ad hanc aut illam est indifferēs.

Sol non est factus propter se.

Idemque de cæteris planetis, & stellis dicendum est, sicut & de cæteris corporibus, quæ cùm minimè se sentiant, certum est ea propter se non esse, sed ob aliquem, qui ex eis voluptatem, atque commodum depromat, videlicet ob hominem, qui si à mundo abesset, tota natura corporea frustra esse videretur, neque enim sibi, nec alteri vllam afferret vtilitatem; sic enim quælibet diuitiarum copia nullius est momenti, quando nulla est earum notitia, nullus sensus, & nullus vsus.

Omnia corpora propter hominem facta

Quid obsecro commodi, quam vtilitatem, aut voluptatem soli adfert, quòd hyeme solùm per leucas totidem à centro terræ distet, quot semidiametri terræ 110 in se complectuntur: æstate verò magis ab ea recedat, vt iam per mille & centum octoginta duas terræ semidiametros à terræ centro remoueatur, quando est in sexto gradu 69, vbi est eius Apogæum. An fortè sibi 81 semidiametrorum terræ spatiū elegit, quo susque déq; exspatiaretur, quia latius inuenire, vel peragrare non poterat? sanè nulla est alia ratio, cur ab æquinoctiali 23 gradus & ½ recedat, & inde tropico cursu remeet, quàm quia eius autor ita voluit, vt eam nobis tēperiem efficeret, quæ ad ver, æstatem, autumnum, & hyemem necessaria est, & in illis tempestatibus ventos, imbres, nubes, niues, gelu, & cætera excitaret quibus herbæ, plantæ & cæteta ad hominum necessitatem, aut voluptatem producerentur.

Aux, & excentricitas solis.

Solis declinatio quāta.

Idem omnino de terra, déque mari dicendum est; ad quid enim terra, quæ natura sua perfectam rotunditatem postulat, hic in montes assurgit, illic in valles deprimitur; cur in vno loco calida, lenta, friabilis, leuis: in alio ponderosa, pinguis, macra, pulla, gilua: in alio insipida, vel saporis alterius reperitur, cum vniformiter frigida sicca, & friabilis vbique esse deberet. & tamen.

Variæ variarum terrarum conditiones.

——Non omnis fert omnia tellus.

Hîc segetes, illic veniunt fœlicius vuæ;
Arborei fœtus alibi, atque iniussa virescunt
Gramina. Nonne vides croceos vt Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.

Pontum aspice, nunquid pro variis locis diuersos pisces nobis profert? nunquid etiam aër ipse alias in India, in Gallia alias aues habet? Ad quid obsecro, nisi vt homini omnium animaliūm præsidi inseruiant? quippe qui solus omnia considerat, discernit, iudicat, & omnibus vti, fruique potest, adeout alterius numinis instar esse videatur, cùm omnes creaturas in intellectu suo contineat, & in eo totum mundum depictum habeat.

Est etiam aliud in vniuscuiusque rei partibus, quod nos ad summum artificem perducere valeat: sunt enim tam exquisito artificio elaboratæ, & tam eleganter ad suas functiones, atque fines aptatæ, vt nulla sapientia vel minimum adiicere, minuere, vel emendare possit; vnde sequitur partes illas à sapientissimo quodā excogitatas, & ordinatas esse. Quod in omnibus membris humani corporis facillimo negotio demonstrarē, nisi Galenus id libris de vsu partium luculenter ostendisset, qui 1. de formatione fœtus, vnicuique ossi supra 40 scopos tribuit, adeout omnibus ossibus plusquā octies mille scopi conueniant; vnicuique musculo 10 scopos concedit, quos cum supra sexcentos Medici enumerent, sex millia scoporum spectabis in eis. Quæ omnia nolim persequi latiùs, cùm eleganter ea multi nostri temporis Anatomici tam latinè, quàm lingua vulgari prosecuti fuerint.

Galen.

8000 vsus ossium, & musculorū corporis & 600 musculorum.

Tria solum corporis viscera affero cor, hepar, & cerebrum, quæ quidem propter se minimè facta sunt, sed propter hominem totum, in cuius corpus ita influunt, vt in omni corporis parte trium horum vnumquodque esse diceres; ita enim abundè sese communicant, & expandunt. Hinc fit vt nulla sit pars in corpore, in quam spiritum vitalem, & calorem cor non immittat; spiritum verò naturalē, & sanguinem hepar, & cerebrum animalem. Ideóque hisce tribus cæteræ corporis particulæ inseruiunt; quibus, vt officium suum expleant, hepar sanguinem per venas distribuit, vt vicem ipsius hepatis suppleant; Eapropter in singulis musculis venulæ plurimæ repertiuntur, paruulorum hepatum instar, idemque per arterias cor efficit, quibus ita se per omnes partes communicat, vt in singulis quædam corcula esse diceres.

Cor, hepar, & cerebrū.

Distributio hepatis, & cordis.

Quid de cerebro? nunquid per spinam dorsi descendit, vt abundantiùs sese communicet? enimuero ex sex paribus neruorum è capite nascentium, 5 ad 5 sensus descendunt, & musculorum motum adiuuant, sextum per ceruicem, & pectus ad stomachi perducitur orificium, 30 verò paria ex medulla spinali prodeunt, ita tamen vt singuli nerui in alios plurimos ramusculos abeant, qui deinde in muscu-

Distributio cerebri.